


Johann Juncker


**Pentecostes Sollemnia Fridericianae Prorektor Joannes Junckerus Medicinae Doctor Et Professor ... Cum Directore Atque Academico Senatu Cetero Sacra Indicit Civibus Praevia Interpretatione Joh. XVI, 12-15**

Hallae Magdeburg.: Praelo Hendeliano, [1756]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn835467740>

Druck Freier  Zugang






114


a. B.


48. b. 8.


27.

Fa-1092(27)









PENTECOSTES SOLLEMNIA  
FRIDERICIANAE PRORECTOR  
**IOANNES IVNCKERVS**

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS  
ORDINARIVS, PAEDAGOGII REGII ORPHA-  
NOTROPHEIQUE MEDICVS

CVM  
**DIRECTORE**  
ATQVE  
**ACADEMICO SENATV**  
CETERO

SACRA INDICIT  
**CIVIBVS**  
PRAEVIA INTERPRETATIONE  
IOH. XVI, 12-15.



HALAE MAGDEBVRG. PRELO HENDELIANO.



Nter alia, quae sollemnium istorum dierum indoles & causa in memoriam reuocat, praestantissimum ad nos cuncta per tempora praesidium animo obuersatur, quod rediturus iam iam eo, vnde venerat, Seruator noster suis rum discipulis pollicebatur: cuius certissimum, clarumque documentum Ioh. XVI, 12-15. exstat.

Saluberrimarum sua indole rerum plenus est ille locus; ab interpretibus tamen, aut in minus certam tractus sententiam 1), aut non omnino ita exhaustus, quin supersit, quod vberius & illustrari & confirmari a nobis possit. Qua ipsa re faciemus, quod a sollemnium sacrorum ingenio minus alienum fuerit. Cum autem ita hac scriptiois opera fungendum sit, prout breuissime licet: abstinemus diligenter ab eo, quod abesse salua nostri consilii ratione poterit.

Duobus omnino capitibus comprehendi videtur excitatae eius orationis, quae est pars praestantissimorum, quae vltima quasi verba dixit Christus, vniuersum consilium. *Primum* v. 12. continetur, & duobus constat momentis. *Altero*, Christum, patris nomine adhuc doctores & interpretis ad homines munere functum, non perfuncturum

1) Attingemus postea parte huius scriptiois altera celebriorum quorundam interpretationes minus firmas; aliorum vero mentionem breuiter facere hac ipsa in prima parte licebit. WOLFII *curas philologicas*, & LILIENTHALII *Archiuarium* vix opus est appellare; quos nomenclatores aliorum omnes fere norunt.

rum ista omni prouincia; quod istis verbis exponitur, *adhuc multa habeo dicere vobis*. Istud enim non solum refert se ad antea vitae publicam hanc rationem, quae in eo versabatur, vt Patris ad homines legatum se gereret: sed etiam nihil aliud ista sententia, *habeo dicere vobis*, effert, quam quod antea c. XII, 49. XIV, 10. prae se ferebat Christus, *non a me loquor ista verba, vt cap. XV, 15. a patre omnia audiui, quae vobis significauit*. Itaque hac ratione licet haec describere: quamuis tamdiu iam vos inter aliosque, publico, priuatoque doctoris fungar probi & fidelis officio, quem non ignoratis diuinitus hac omni persona vsum, quippe qui luculenter patris, a quo interpres ad homines missus sim, auctoritatem prae me tuli: tamen eorum ambitum, quae a patre de me, & iis, quae ad me cuncta pertinent, cum hominibus per vos aliis omnibus communicanda suscepi, nondum omnem confeci atque emensus sum; vt potius multa supersint, quae rescire & cognoscere, vestra permagni interest. 2) Alterum illud est momentum, quo ratio redditur, cur non ipse isto cuncta salubria iis tradendi munere perfungatur, quae istis verbis proditur, *sed non potestis ferre nunc*. Quod & illud complectitur, non in Christo esse moram, taedium, aut eius rei aliquid, propter quod ipse nolit defungi omnino isto eos vberrime ad optimum informandi statum officio: & istud alterum, veram eius rei causam, in ipsis residere discipulis. *Sed, quantumuis maxime id perficere velim, non potestis ferre nunc* 3) quae sententia & ipsam indolem rerum

- 2) Integra horum verborum sententia non ex hoc tantum commate, sed ex sequentibus petenda est, quae arctissime cohaerent cum hoc 12. Itaque negligentes fuerunt ii superiorum temporum interpretes, qui traditionum praeter scripturam praesidium hic firmum inuenire sibi videbantur: quasi Christus ipse post reditum a mortuis *multa ista* adhuc cum discipulis communicarit, de quibus tamen in scriptura nihil exstet, adeoque traditiones consulendae sint. Verbum hodie dicere contra opus non est; conf. Ioan. GERHARDI *confessio catholica* lib. I. parte 2. c. 5. p. 136, qui meliores interpretes & antiquiores & istorum temporum peioribus quibusdam opponit.
- 3) βασιλειαν secum fert conuenientem rationem virium cum eo, quod portandum aut ferendum est; & in plerisque linguis, vt solet, a corporeis & viribus & rebus, ad facultatem tam cognoscendi, quam volendi certum obiectum, adhiberi solet; quod & hic fit. Τα περι Χριστου autem nondum intelli-

rerum ipsarum quae superessent, indicat, & conditionem discipulorum. Ita est vestra mentis animique adhuc indoles, vt magnitudinem, virtutemque & vim illorum, quae dicere adhuc haberem, pati, ferre, & vtilissime intelligere non possitis, etsi tam multis factorum a me miraculis, prodigiisque haud parum iam praeparati. 4) *Nunc*, omnem ineptarum opinionum speique varie de Christi destinatione fluctuantis vim & ambitum designat, quem vel seuerissima, fidelissimaque institutio iam dissipare & dissiicere nequeat; adeo altum & pertinax infidere animis virium. Itaque aliud tempus se designasse, quod ditissimum firmissimis praesidiis atque argumentis certissimam spem & fidem faciebat, saluberrimam tantis de rebus tum institutionem fore. Facile intelligitur, firmissimum argumentum aduersus inanium opinionum miracula & impedimenta, in eo a Christo poni: quod obeunda morte euentisque post eam ceteris, fortissime expugnari, vincique ea possent, quae discipulorum mentes adhuc sinistra occupauerant.

*Secundum* caput huius orationis v. 13-15. continetur. Spiritum sanctum suppleturum ad discipulos istam doctoris prouinciam, quam omnem explere Christus non poterat, si cetera vniuersi diuini consilii constare optime debebat ratio. *Tria* hic distingui commode possunt momenta. 1. Is, qui sufficiens Christo erat, qui triplici designatur ratione: *prima*, *ἐκεῖνος*, breui sed luculento indicio, quem scilicet v. 7. *παρακλητον* nominauerat, & c. 14, 16, *ἄλλον* *παράκλητον*; nempe alium, non ratione virtutis & praestantiae diuersum aut minorem, sed successorem, excipientem ipsum doctorem; *altera*, maxime frugifera & praegnantia, *το πνευμα της ἀληθείας*, quae descriptio potissimum habebat ad hanc causam momentum, vt intelligerent, fidelissimum fore interpretem, qui *Spiritus veritatis* audiret; *veritatis* scilicet eius, quae ad ipsam coniungendorum per Messiam cum Deo hominum pertineret rationem, constaretque praecipuo quasi suo argumento vniuersa & aptissima Christi, prouinciaeque eius cognitione non solum, sed & mentis ipsius humanae ad eam conformatione; cuius vtriusque perfectionis,

intelligere & velle poterant, Luc. XXIV, 27. & antea clare, Ioh. XII, 34. *Vous n'etes encore ni assez forts, ni assez Spirituels*, additur in N. T. BEAUSOBRII & LENFANTII.

4) Cap. XIV, 9. *Τοσούτον χρόνον μεθ' ὑμῶν ἔμι, καὶ ἐκ ἐγνωσας με;*

tionis, qua adhuc discipuli cum Iudaeis plerisque carebant, Spiritus ille auctor statorque, nomen hoc gerat. *Tertia* designandi noui doctoris ratio ea haberi potest, *ἐλθῆναι*, cum *venerit*: quae, cum, praeter notionem vulgarem opposita hic quasi sit, tum abituro Christo, qui semet ipsum *venisse* saepe dixerat, tum huic tempori, quo adesse aut apparuisse nondum dici poterat, similiter externum, oculisque & sensibus illapsurum documentum credendae sciendaeque eius praesentiae 5) spondebat, & promittebat, ac Christum praesentem, cumque ipsis versantem, cognouerant discipuli. 2. Tempus quasi indicatur, quo exspectandus sit ille Spiritus externus quasi aduentus; quod saltem a parte illa, a qua spes illa incipere possit, satis certo designatur. Negat Christus se ipsum porro doctoris vicem subiturum, ut cap. 13. 14. 15. satis luculenter de morte & sua, & olim testium discipulorum locutus erat. Itaque statim a morte Christi propius ab istius spei implemento abesse se intelligere discipuli poterant: hocque ipsum tempus praeparabat animos ipsa actarum rerum sedula recordatione & meditatione. 6) Breue autem hoc interuallum futurum, licet non clare describatur hic eius finis, ex eo facile colligi poterat: partim, quod doctore carere tam infirmi & fluctuantes quasi animi longum tempus non poterant, partim quod omne consilium ad concelebrandum Christum pertinebat, recentemque adeo eius rerumque ab eo gestarum memoriam occupare debebat. 3. Describitur Spiritus huius vniuersa prouincia; & quidem, (I) summam, *ducet vos in omnem huius generis veritatem, ὀδηγήσει εἰς πᾶσαν τὴν ἀληθειαν*, 7) vbi a) *ὀδηγήσει* cum ratione

5) Quod Act. II, 2. 3. commemoratur, *ὥσπερ πνεύματος βίαιας φερόμενης*.

6) Viuis iterum Christus clare iusserat, tamdiu Hierosolymae manere, & *περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς*, Act. I, 4. 5. & v. 14. sequitur, *ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ προσευχῇ &c.*

7) Varie haec oratio ab interpretibus accepta est. Videtur autem ex orationis serie praecipue ad v. 12. respicere, & ex sequentibus non parum declarari: vt omnino ea omnia comprehendat, quae cunq̄ue discipulis cognitiu necessaria erant, vt aptissime ministerio christiano fungi olim possent; sed & praecipue id designat, a quo cetera omnis ministerii eius nondum satis nota ratio pendeat, i. e. Christi veram designationem & personam, non externam

ne ad hanc ipsam offendentium adhuc discipulorum conditionem, prouidamque & aptissimam iis institutionem referenda est, vt significet non solum conuictionem ipsorum plenissimam, sed etiam, quod cum destinatione & munere Apostolorum coniunctum erat durantem & pro rerum ratione continuandum influxum in administrationem muneris. b) Articulum *την* rectissime fere pro *τοιαντην, ταυτην*, positum existimare licet; nempe de iis loquitur Christus, quae adhuc dicere habebat, & quae a doctore alio isto exponenda essent, utpote iam fere intolerabilia. Ita autem Christi veram prouinciam & personam ratione nostra hominum spectabant, & praecipue eo pertinebant, vt discipuli conuincerentur, verissime & rectissime haec in Messiam conuenire, quae ipsi acciderant, & quae hoc tempore sine scandalo aut indignatione experiri vix poterant. (II) Distinctius & per singularia quaedam declaratur & confirmatur. *Primum*, remouetur aliquid quod

pluri-  
 ternam politicam instaurationem spectantem; adeo etiam, abolitionem ceremoniarum, & eius generis alia. Itaque non apparet ratio, quamobrem *BISTERFELDII sententiam*, non simpliciter omnem veritatem, etiam philosophicam, medicam cet. hic intelligi, sed *την*, illam, quam portare iam nequeant, adeo reprehendat *PETAVIVS de trinitate* lib. 3. c. 8. n. 13. 14, vt pessime habitum ab eo locum hunc dicat; cum ipse idem fere prodat intelligi, *omnem veritatem illorum tum sturui, vocationi ac ministerio consentaneam*. Nec facile arbitraris, cur *WOLFIUS in curis* ad h. l. scripserit: *BISTERFELDIVM contra CRELLIVM την ἀληθειαν hic non de omni veritate, sed ea, quam ferre adhuc non possent, accipi vult. — Sed omnino illa restrictio locum hic non habet*. Si id verum sit, restrictionem illam, qua excluditur veritas cuiuscunque alius, non christiani adeo, generis: sequetur omnino satis incommoda ipsa vbertate sua expositio. Ita & *CLERICVS* vim articuli *την*, exemplis aliis plane simillimis & hac in *Φρασει, πασαν την ἀληθειαν*, confirmavit, in *arte crit.* parte 2. sect. I. c. 2. n. 8. Festinanter *WOLFIUS* hunc ipsum locum *CLERICI* laudauerit oportet ad h. l. quum tamen restringi hanc orationem nolit, quod ipsum *CLERICVS* non solum hic, sed etiam in *sentimens de quelques theol.* lettre 12. p. 284. seq. edit. secundae, quasi optimorum interpretum auctoritate fultum praefert. Nec *CLERICVS* integram phrasin, *ducere* in veritatem omnem, illustrat, sed tantum articulum *την*. Cetera vero de hoc loco moralis, in qua epistola ista *CLERICI* multa est, an inspiratio Apostolorum, quae ab errandi periculo eos defenderit, hinc confici possit, a consilio nostro videtur alienior.

plurimum momenti ad fiduciam habere poterat, *nihil a se*, 8) suo diuerso consilio vsurus, quod hoc non satis forte nosset, *loquetur* ille spiritus. *Deinde* omnino & positue rationem reddit Christus de eo, quam ob rem secure fidem omnem habere illi possint spiritui, & satis intelligere, vniuersam huius omnis negotii causam, *πασαν την ἀληθειαν*, isto doctore ipsos recte cognoscere posse. Nempe haec ratio hic redditur, quod ille spiritus & ipse legati personam sustineat, *quaecunque audierit*, 9) *loquetur*: quae oratio in animum reuocabat discipulis, eadem fide praeditum oportere credere hunc spiritum, ac ipsum Christum nouerant, qui de se Cap. XV, 15. profitebatur, ea omnia, *quae a patre meo audiui*, significauit vobis; adeo ita necessario intelligebant, hunc spiritum nihil aliud, quam quae a mandante aliquo quasi tradenda aliis acciperet, docturum; licebitque occupare, ex v. 9, vbi *missurum* se dixerat Christus, ea quae *a me* audiet, qui eum mittam, vt meo loco ea prodat, quae ipse iam docere vos satis vtiliter non possum. Itaque nihilo secius aut infelicius administrabitur ad vos haec prouincia, quam si ipse in ea pergerem. Porro eloquitur Christus, ipsum argumentum & obiectum, in quo spiritus mittendi officium maxime versaturum sit, seu suppeditat descriptionem eorum, quae quasi in mandatis habiturus sit; quae triplex videri potest. *Ἰ. Τα ἐρχομενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν*. Possis forte & non inepte reddere illud *καί*, *scilicet*, siquidem, aut, *praeci-*

- 8) PETAVIUS l. cit. n. 15. contra BISTERFELDIUM, qui *de se* reddere volebat, recte tuitus est interpretationem, *propria loqui voluntate*, & ei aduersa, quocum concordare debuit, & ad eum velut auctorem referri. Id patet ex colat. cap. 12. 49. vbi similiter de se loquitur Christus.
- 9) Vana est CLERICI argutatio l. c. p. 254. *il est clair, qu'on ne peut pas prendre ces paroles proprement, comme si le S. Esprit avoit entendu dire a Dieu ou a Iesus Christ, ce qu'il devoit inspirer aux Apotres*. Quis enim non videt, Christum hac describendi forma tantum eo consilio hic vt, vt discipuli satis fiderent ei doctori, nec plane noua & diuersa ipsis addiscenda fingerent? Ea igitur, quae sciens & prudens a Christo electa est designandae rei ratio, non temere a nobis deferenda & ad nostrum de ea arbitrium refingenda est. Ceterum iam ATHANASIVS in ep. ad Serap. tom. I. p. 361, coniunxit, Ioh. XV, 15, & hunc locum, *το πνευμα ἐκ τῶ ἐμῶ λαμβανει*, licet alibi aliter haec capiat; obseruatque, vt filius *in nomine patris* venit, ita spiritum a patre micti *in nomine filii*.

## VIII

*praecipue* 10). Τα ἐρχομενα, ea, quae venient, sient, partim ea, quae ad me pertinebunt, & mihi accident, mortis rationem, reditus in vitam causam, abitionis in caelum consilium verum, plenamque omnis personae meae, qua ad saluandos homines refertur, cognitionem; partim ea, quae postea euenient, tam vobis, quam Iudaeis, & exteris, connexa adhuc & coniuncta cum cetera mearum rerum ratione. Haec, quae ipse ego non poteram, annuntiabit, explicabit declarabit 11) vobis, ne obscura amplius sint. Hoc ipsum, quod de venturis ad ipsum pertinentibus Christus dixerat, iam pluribus declarat, 2. ille *me augebit gloria* v. 14. Inferere liceat, me *inquam*; cuius veram causam, cum multis aliis nondum intelligitis, & de futura, vel ambigitis, vel erratis. Ita existimationem & honorem meum interpretabitur *ille*, ex ipsis illis, quae mihi & acciderunt iam, & interea euenierint, atque eminenti in loco & lumine ponet: vt magnitudo eius praestantiae, quam fere pressi adhuc & in obscuro tenui, luculenter ad omnes patere homines possit. Respicere omnino videtur hoc *δοξασει* 12), ad minorem & tenuiorem

10) Non opus erit verbosius adstruere, *explanatiuam* particulae vim, quod a multis iam factum, & graeca versantibus notissimum est. vid. *Biblioth. Bremens.* class. V. p. 472. *Praecipue* autem etiam reddi non raro, notissimus locus Marc. XVI, 7. efficiat. Adde BLACKWALLI *Criticam sacram* p. 120. edit. Venerandi WOLLII.

11) ἀναγγελλειν, ex compositione, *ex integro*, plenius narrare; aut includere potest rationem factae iam de re quadam mentionis, qua ratione ad Christi munus respicere possit; aut inuoluit, vberriam expositionem eorum, quae hic ἐρχομενα dicuntur; rei vniuersae, quae cohaeret, rationem perfectam. Forte ex vi hebraici verbi רשע, quod graeci aliquando, παρακαλειν, (paracletus), vti graeci non raro iungunt, κηρυττειν καὶ προκαλειν, saepissime ἐναγγελιζειν reddunt, vsus huius & similibus locorum amplius metjendus est; quem tamen & exteri graeci non ignorarunt; vnde Mercurius Iouis ἀγγελος, nuncius, κηρυξ ad homines, quod *nunciare* accuratam expositionem & institutionem pro consilio mittentis, insert. Certius tamen, nisi verissimum, videatur, ἀναγγελλειν hic reddere hebraicum ערר, in hiphil; ita saepissime redditur saltim a graecis interpretibus V. T. quod facile in KIRCHERI *Concordant.* videri potest, pag. 1738. 39. vnde clarius reddendum esset, *nota faciet vobis*, i. e. intimam rationem aperiet.

12) Arbitremur respondere illud hebraico ככר, quod saepissime graeci V. T. reddunt,

nuiorem expectationem, qua discipuli de Christi persona & destinatione adhuc aberrabant. Hoc argumentum institutionis illius per Spiritum, vt certius & minime dubium sit, noua ratione confirmat Christus, *nam de meo sumet, & vobis nuntiabit* 13). Quod discipuli vix poterant aliter intelligere, ob ea, quae cap. XV, 26. dixerat, ille — *de me testimonium perhibebit*, quam praecipuum argumentum & perpetuum institutionis illius, a Christi omni statu & conditione desumptum & repetitum iri; quod eximie conspirat cum promisso v. 13, suppleturum Spiritum sanctum ista, quae, vt pote nimis grandia atque sublimia, hoc tempore vtiliter intelligere non poterant. Nempe quae ipsam Christi, Dei, translaturi religionis veram vim a caerimoniis Iudaicis in se, suscepturique iam & ceteri & ecclesiastici orbis regimen augustissimum, omnem rationem spectabant. Haec hic dicit summam,

B matim,

reddunt, *δοξαζεν*, nisi quis malit ad ΝΩΙ referre, quod in illustri oraculo de Messia Iesariae LII, 13. redditur, *δοξαδησεσ*. Faciet instituendo, vt maiori in honore ab isto tempore a cunctis habear, quam nunc.

- 13) Arctissimam orationis seriem videmus nobis magis, quam alii interpretes seruasse, qui istud, *de meo sumet*, varie reddiderunt. BEZAM non debebat PETAVIVS falsatorem euangelii hoc loco dicere, l. c. num. 15. quod *euangelicam doctrinam, cuius materia est ipse Christus, & quae pro nobis gessit*, το εμον hic exponit; propius certe a vero abest, quam patrum magnus numerus, licet ex cetero doctrinae suae genere, haec Christi gloria magis ad quaedam merita eius nostra caussa, quam ad integrum, quod humanae naturae superuenit quasi, fastigium pertineat. Ineptior fere est CLERICI, quam postea tangemus expositio; nec omne punctum tulerit obseruatio N. Test. *Beausobrio Lensentiani*, ad hunc v. 14; *il faut expliquer le terme de recevoir ou de prendre, (ληψεσ) par celui d'apprendre*. Il s'agit d'instructions. Reddunt autem: *il recevra de moi* (scil. acceptis mandatis) *ce qu'il vous annoncera*. Facile damus, λαμβανεν, pro Πρλ, non numquam idem esse, ac discere, cognoscere; sed id effici non poterit, hoc sensu id posse significare hac dicendi forma, sumere εν τσ τινος, discere ab aliquo. Isto sensu enim dicendum fuerat, απο, παρα τινος; deinde, si maxime possit alicubi ita intelligi, tamen hic nequit, ob v. 15, vbi mireris, doctissimos gallicos interpretes mutasse vertendi priorem rationem, *qu'il recevroit de moi*, & in nota, *recevra de moi des instructions*. Sed hoc non omnino est *aprendre*, discere; nec graeca verba id ipsum patiuntur.

X  
matim, το ἐμὸν. Ex hoc *desumet & annuntiabit*, spiritus, siue, hoc  
erit argumentum, in quo vobis declarando & exponendo similiter  
versabitur, ac ego dum vobiscum essem, prout tum licebat, solebam.  
3. Atque, ne fingatis vobis aut exiguum, aut humanarum rerum vanum  
quoddam fastigium, satis amplo ex fonte haurire potest ille spiritus;  
v. 15. *omnia enim quaecunque habet pater, mea sunt, ideo istud dicebam,  
de me sumet 14)*. Isto scilicet vno excepto, quod *patrem* appellare ha-  
beo, cuius nominis ratio huius generis in me non est, nulla ceterum  
alia ratione minor, quam patris, maiestas est mea & praestantia:  
quaecunque alia habet pater naturalia summi & diuini honoris argu-  
menta & praesidia, quorum homines documenta atque experimenta  
capiunt, cuncta etiam mea sunt; mihi etiam eundem longe maxi-  
mum honorem ad homines conciliant, vt paulo post plenius intellige-  
tis, isto vsuri doctore. Itaque, cum commune sit, & patris, & me-  
um, diuinitatis fastigium: vtique de illo meo, quo vtor, fruorque,  
hono

14) Ita CLERICVS, alio nomine vsus, in excitata epistola hunc v. & anteced.  
p. 255. exponit: „*A proprement parler*, il ne vous dira rien de nouveau,  
„il ne fera, que vous rappeler en la memoire, pour vous la faire mieux  
„entendre, *la doctrine de mon Pere*, qui est celle, que je vous ai enseignée,  
„*& que je puis aussi appeller ma doctrine*; parce que mon Pere m'a char-  
„gé de la precher, comme l'unique docteur de son eglise. „ Non satis  
aptam dicebamus antea hanc interpretationem. Παντα, ὅσα ἔχει ὁ πατήρ,  
quis, & qua id ratione, persuadeat significare, omnis *doctrina, voluntas* de  
vera religione? Adeone liceat esse praecipitem, vt ingeratur exiguum hoc  
nomen, *doctrina!* Iudaei & discipuli profecto sciebant, hanc esse descri-  
ptionem summi Dei, qui *παντα* habeat, scil. honoris diuini praesidia. Ob-  
scurissime dixerat Christus, si hoc tantum, quod CLERICVS, volebat.  
Laudatum gallicum N. T. non multo propius abesse viderur, ab omni vir-  
tute huius tantae orationis: „Quand ie dis, que le S. Esprit recevra de moi  
„ses instructions, – ce n'est pas, que je veuille empierer sur l'autorité de  
„mon Pere, mais c'est, parce qu'il n'a rien de reserué pour moi, & qu'il  
„m'a confié tous ses desseins & interers. „ Haec enim & ipsa tantum ad  
munus Christi inter homines pertinere volunt eam *θεωρίαν*. nihil ad diui-  
nitatis commune fastigium, quod tamen ista oratio postulare viderur. Id  
sciebant Iudaei & discipuli, Messiam, magistrum a Deo missum, non ignora-  
re Dei consilium: sed istud alterum plurimi ignorabant, aut non satis no-  
uerant.

honore desumet ille Spiritus praeconiorum materiam; cumque a me vobis meo loco destinetur, non poterit vnumquam immemor esse, aut minus locuples vniuersi huius negotii interpres; siue, necessario *in omnem veritatem vos ducet*. Arbitramur hac, breuissima licet, explicatione, quae arctiorem orationis nexum, temporisque eius, & auditorum vniuersam, & veram rationem non negligit, istius loci veram sententiam, loquentisque Christi consilium satis patere; vt iam facilius sit, de aliorum interpretum maiori conatu arbitrari. Eorum ex numero primo loco commemorabimus patrum, non paucorum, sententiam, qui his verbis, *non a se ipso loquetur*, &, *de meo sumet*, praecipue ad essentiae diuinae spiritui sancto, non a patre solum, sed a filio etiam, factam communicationem a Christo respici decernunt. 15) Haec expositio, inter latinos doctores adeo confirmata fuit, ut contra Graecorum diuersam de processione Spiritus sancti sententiam saepissime huius loci auctoritate vfi sint, eoque id forte maius praesidium fuerit, quod nec inter Graecos antiquiores 16) defuerant, qui eandem explicandi rationem sequi videntur. Nec desunt inter nostros, quibus ista explicatio non displicet. 17) Sed quamuis non incommoda sit ea interpretandi ratio, si praeci-

15) Legantur, praeter SVICERVM, quem excitauit WOLFFIVS in *curis* ad h. l. in DIONYSII PETAVII dogmat. theol. *de trinitate* lib. 3. cap. 8. n. 2. seqq. multorum patrum loca integra; quibus plures facile addi possent, *Marius VICTORINVS* lib. I. contra Arium; praecipue Homiliarum in *Pentecosten* auctores; e.g. S. LEO, pontifex, sermone II. de *Pentecost.* Sermo 15. S. MAXIMI Taurinensis, p. 34. tomo 4. anecdotor. latin. *Muratorii*.

16) CYRILLVS alex. dial. 6. *de trinit.* προστεθεισ de ότι εν τς εμς ληφεται, την βοωδη και φυσικην οικειότητα δεδμεν εν αγγως cet. idem in comment. in Ioan. XI. ANASTASIVS *Antioch.* & plures a PETAVIO lib. 7. *de trinitat.* cap. 5. excitati cum *Epiphano*; cuius & alia loca cap. 3. adduxerat.

17) Vid. Io. Ad. SCHERZERI *systema theol.* loc. 2. *de Deo* §. 28. (ε) &, quam idem collaudat, DORSCHER *theol. Zachar.* parte II. disp. V. pag. 204 205, qui & p. 207. longo numero pontificios, reformatosque doctores excitat, quos *Maldonatus* & *Beza*, aliter exponendo, deseruerint; aduersus quos magno conatu pro isto sensu, quem & *Petauius* contra *Maldonatum* tuetur, disputat. Sed facile apparebit, rem omnem redire ad *το accipere, sumere* quod

## XII

praecipue aduersariorum ingenium eam patiatur & ferat: tamen, si de eo quaeratur maxime, quatenam sit illa ipsa orationis eius sententia, ex mente & destinatione Christi tum loquentis: vix praefenda illa nostrae videatur. Si enim recte iudicamus, id ipsum, quod efficiendum erat, quodque aliunde nobis satis constat, in hunc locum subinfertur magis, quam ex eo deriuatur & eruitur: ΑΦ' εαυτε λαλει, quod coniunctum est, & ex sollemni non graeco solum, sed & Iohannis more, cap. VII, 24. cap. XVIII, 34. praecipue cap. XII, 49. opponitur ei, quando aliquis a se, non mandata alius habens, aliquid gerit & procurat. Hoc tamen AVGVSTINVS, & qui eum sequuntur, BEDA, cum recentioribus quibusdam, ita cepit, vt intelligamus, non eum esse a semet ipso; sine, eum non habere, a se ipso, essentiam. Constat quidem haud dubie haec colligendi ratio: quia spiritus sanctus, quem promitto, communem habet essentiam diuinam, potest, imo non potest non, eadem vobis tradere, ac ego incepti; & ideo recte ad eum vos ablego. Sed contra non valet collectio; seu ab eo, quod consentiens erit Christo Spiritus sancti institutio, ad processionem eius a filio, colligendo recta non peruenitur; sed interpositis christianae doctrinae adiumentis aliis, quae hic in hac oratione a Christo plane non adhibentur. Refert adeo ipse PETAVIVS 18) hanc veritatem, quod Spiritus tam a Filio quam a Patre procedat, inter eas, quas Christus consueto distulerit, annuntiandam a Spiritu. Si vero his verbis, ex mente Christi, processio spiritus S. ab ipso Filio contineretur, quod Patres volunt, quos PETAVIVS defendit: consulto eam veritatem distulisse Christus dici non poterit, nisi eo respe-

ctu,

quod coniungendum est cum, & nunciabit; & hoc cohaeret cum eo, quando venerit, estque expositio vberior eius, ducet vos in veritatem omnem, quae veritas hic describitur. Fas autem non est, ei rei hic dare operam. Sic & Io. GERHARDVS tomo I. locorum theol. de Spiritu sancto n. 78. conclusit: quia in tempore hanc sapientiam, qua instruxerit Apostolos, non acceperit, ergo ab aeterno per processionem; adducto loco AVGVSTINI eodem, quem supra apponimus. Sed non tam sapientiam, quam materiam, argumentum sumisit de Christi rebus, quod aeterna ipse sapientia praeditus, illustraret ad Apostolos.

18) PETAV. loc. cit. num. I. sine.

ctū, quem PETAVIVS omnino pronuntiando, non designavit. Idem omnino locum habet, cum *audire* Spiritum sanctum, ad essentiam referunt, & vnitatem naturae. Sed si hoc *audire* eo referas, quod aequè rectè, imo ex Christi consilio, rectius potes, quod hic locum maxime habet, quod quasi legati, cui quid mandatur, personam gerat Spiritus sanctus, adeoque ad missionem *gratiae*, non vero ad missionem *naturae*, quod isti volunt: nihil ex his verbis effici vnumquam poterit, quod te ab ista sententia retrahat; itaque non est verior.

Quod vero contra MALDONATVM, erudirum commentatorem, PETAVIVS ista verba, *de meo sumet*, Patrum auctoritate ad essentiam & processionem Spiritus S. a Filio efficiendam adhibita, rueri vult, patrumque opinionem non solum probabilem, sed etiam necessariam, pronuntiat: ipsi studio in patres plus, quam eximio, quo praeditus esse & hic poterat, iudicio suo tribuere videtur. Ita autem PETAVIVS rationes subducit. Consentit MALDONATVS, istam orationem, *omnia, quae habet pater, mea sunt*, essentiam significare; idemque valere ac *essentia patris mea etiam est*. Iam perguit, quis illud esse consequens non videt, etiam alterum, *de meo accipiet*, idem valere, ac *de mea essentia accipiet*? Accipere autem de essentia Patris vel Filii, Spiritum Sanctum, quid esse aliud, quam procedere? Non enim personam vnam quidpiam accipere ab altera, nisi ab ea procedendo. Inde concludit, necessariam igitur & vnice veram, esse veterum expositionem. 19) Sed mirari subeat, tantum virum, tam exercitatum in dignoscendis verborum, formularumque loquendi variis sententiis, non eximium istud intervallum, quod concludendo transiit, animaduertisse. Eadem ne est orationis ipsius insita vis, *mea sunt omnia, quae habet Pater*, quae necessario includere essentiae vnitatem videatur, atque ista est, *Spiritus*, qui venit, quem ad vos meo loco mittam, ad vos interpretem futurum, *sumet de meo*? Demus, si faciles simus, posse hoc designandi genus, (in tali oratio-

B 3

19) Repetit fere eandem argumentationem libro 7. cap. 9. num. 11. Pater filio omne communicat, excepta paternitate, ergo & productionem Spiritus sancti, quae non est paternitas. Damus; ergo Spiritus Sanctus hoc ipsum etiam docebit Apostolos, accipiet enim de eo, quod est Filii, argumentum praeconiorum.

## XIV

orationis serie, quae animum ad personarum diuinarum internam rationem minus attentum facit, quam ad sufficiens doctori Christo alium,) eo etiam adhiberi, vt inferat, *Spiritus Sanctus essentiam eandem a me habet*; licet non solum ipsum tempus futurum, 20) ληφε-  
 ται, accipiet, haud parum impediatur, vtpote oppositum hic tempo-  
 ri, in quo Christus versatur cum discipulis, exque simplici intelli-  
 gendi ratione aeternitatis praesidium clarum hic non habens, nec a  
 personae, adhuc minori, notitia & conditione facile deriuans; sed  
 etiam verbi forma illa, actionem inuoluens, *sumet*, *desumet*, *vsurpa-*  
*ta* de subiecto, cuius existentia, adeoque & essentia, clarissime iam  
 statim antea significata fuit, cum *venerit ille*, vix probabilem fermo-  
 nem patiatur, eademque illa designatio de Spiritu Sancto, ληφε-  
 ται quatenus non sua vlla, sed Patris, Filiique actione, procedit, nus-  
 quam in Nouo Testamento recurrit. Demus, licet haec ista men-  
 tem non parum reuocent. Cum autem hoc verbum ληφε-  
 ται hic non summam, aut sine finibus & cancellis exstet, sed contra non  
 solum ex diligenti commatis 13. contemplatione, verum etiam lucu-  
 lento versus 14. coniugio & nexu ad το ἀναγγελλειν referatur, *desumet*  
*& annuntiabit vobis*, adeoque subintelligi necesse sit, *desumet* quae  
 vobis annuntiabit, *de meo*: debebat profecto PETAVIVS, si non de-  
 ferere ductores patres, tamen non *necessariam* istorum pronuntiare  
 opinionem. Itaque precario, & sine documento, argumentoque  
 firmo, exponit PETAVIVS cum patribus, & qui eos alii secuti sunt,  
*accipiet de mea essentia, (& procedet a me,) & annuntiabit vobis*: cum  
 multo propior, simplicior, orationisque nexui vniuerso propria magis  
 sit expositio: accipiet, actiue, *desumet*, eliger quasi de vniuerso illo,  
 quod meum est, siue communicatum ab aeterno a patre, siue in tem-

pore  
 20) MALDONATVS iam hoc idem attigit; responderi solet, in diuinis, aeter-  
 nis, cuiuslibet verbum temporis ponatur, nihil referre; ita sane. Sed ex  
 orationis serie primum efficiendum erat, de diuinis, aeternis, hic agi; at-  
 qui συναφεια magis pro nobis erit; praecipue, si consideres, iam paulo  
 ante Cap. XV, 26. Christum de eodem Spiritu dixisse, μαρτυρησει, in futu-  
 ro, quod discipuli de aeterno capere minime poterant. Cohaeret ad id  
 cum antecedenti, *quando venerit*, ducet vos &c. *sumet* enim de meo.

pore factumque & promeritum, *ut* 21) annuntiet vobis, suppleatque adeo ea, quae iam vobis declarare, cum commodo vestro maximo, ipse non poteram. Haec cum ita sint, patrum, licet & plurimorum & antiquorum, & bene animatorum, ista expositio, nostram non vicerit. Nihil autem inde commodi ad CRELLII iniquiorem redibit interpretationem, contra quam PETAVIVS isto armorum genere felicissime se pugnare autumabat. Describemus CRELLII omnem ex hoc loco insultum ipsius verbis: *Deus ille summus, quicquid loquitur, a semetipso loquitur, & ob id ipsum verax est, quia a semetipso loquitur. Non audit etiam ille, nec legati instar ab alio instruitur. Nil accipit ille a quoquam; immo de suo omnibus largitur. Non glorificavit is Christum, aliquid ab eo accipiendo, sed ei dando. Quomodo ergo Spiritus sanctus Deus ille summus est?* Nostros inter, qui rebus sacris & theologicis aliquam nauarunt operam, vix arbitramur aliquem esse, quem haec ingens collectio, qua argumentandi hoc institutum perficitur, praecipue commouere aut perturbare possit, licet patrum isto infirmiori non vtatur praesidio: nisi ceteram omnem machinationem CRELLIVS felicissime iam adhibuerit, pro efficienda vna omnino persona in diuina essentia. Damus & nos, isto sensu, qui diuinitatis praesidium efficit, Patrem, Filium & Spiritum sanct. a se loqui; licet filius & Spiritus etiam quodammodo *non a se* locuti sint, sed consentientes cum Patre, & id, quod is praeit. Non audit alium, nec legati instar ab alio, qui Deus summus non sit, mittitur, Filius & Spiritus Sanctus; ad externa procurata beneficia id dicitur, si dicitur; quae externa ratio, internam Personarum minorem, numquam secum fert. Nil accipiunt Filius & Spiritus, quo vnumquam caruerint; imo de suo omnibus largiuntur. Non accepit aliquid Spiritus Sanctus, quo auctus fuerit, & inde maior ad Christum, a quo ad Spiritum redundarit, gloria redierit; nec *dedit* aliquid pater filio, qui genitus a patre, ipse cuncta habuit. Quomodo ergo Spiritus Sanctus summus Deus esse non potest? Poterant plura & fortius dici: sed verbo amplius opus non est.

Id

21) Κοι saepissime locum *ivoi*, *ut*, occupare, notissimum est omnibus vtriusque sacri codicis interpretibus. Possis etiam reddere, *adeoque*.


Id iam omnino superest, vt vos, ORNATISSIMI CIVES, breuiter, sed, vt res postulat, grauius hortemur, vt diligenter perpendatis animo, quomodo Vos adhuc omnem Seruatoris tanti, ex tam alto fastigio partae ecclesiae publicam rem, priuatamque administrantis, personam tuleritis, passi sitis? Huic, tam locupleti & tam leni interpreti & monitori, qui nobiscum manebit vsque in seculum Ioh. XIV, 16. cui sacra haec sollemnia praecipue celebrantur, ista prouincia decreta est, nos ducendi in omnem veritatem, siue persuadendi veram, optimam, quae in Seruatore maxime fundatur, sacrorum nostrorum rationem. Lenissime, suauissime & manu quasi nos ducere vult ad saluberrimarum rerum cognitionemque & vsu. O beatos! quotique erunt *προσηλαργεσαντες ομοθυμαδον τη προσευχη και τη δεσησει* hos festos per dies. Finem scribendi facimus verbis MAXIMI, *Taurinensis*, Sermone XIX. in Pentecost. tomo IV. anecdotorum latin. Muratorii pag. 43. *Ideo Charissimi, imploremus omnipotentis Dei misericordias, vt & nos de Deo annuntiare quae digna sunt, valeamus, & Vos ea, quae dicuntur, audire & intelligere debita ueritate ratione possitis.* P. P. d. IV. Iun.

MDCCLVI.





















XVI

Id iam omni  
fed, vt res postulat,  
mo, quomodo Vo  
stigio partae eccle  
personam tuleritis,  
preti & monitori,  
16. cui sacra haec f  
creta est, nos duce  
optimam, quae in  
rationem. Lenissi  
saluberrimarum re  
quique erunt προ  
hos festos per die  
rinensis, Sermon  
Muratorii pag. 43.  
sericordias, vt &  
& Vos ea, q

vt vos, ORNATISSIMI CIVES, breuiter,  
rtetur, vt diligenter perpendatis ani  
nem Seruatoris tanti, ex tam alto fam  
rem, priuatamque adminiftrantis,  
Huic, tam locupleti & tam leni inter  
manebit vsque in seculum Ioh. XIV,  
ecipue celebrantur, ista prouincia de  
m veritatem, siue persuadendi veram,  
maxime fundatur, sacrorum nostrorum  
me & manu quasi nos ducere vult ad  
onemque & vsu. O beatos! quoti  
δμοθυμαδον τη προσευχη και τη δεσηει  
ribendi facimus verbis MAXIMI, Tau  
ntecost. tomo IV. anecdotorum latin.  
fimi, imploremus omnipotentis Dei mi  
nnuntiare quae digna sunt, valeamus,  
, audire & intelligere debita vene  
is. P. P. d. IV. Iun.  
IDCCLVI.

